

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 831 (heute: Budapest, Országos Széchényi Könyvtár, Cod. Lat. 415)

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

465

P A T R I S T I C I.

466

tios erimus, feliciore stilo consequemur. Nunc illud praecipue nobis dicendum est, quod sicuti Archiepiscopo strigoniensi Basilium archiepiscopum imitanti opus dicavimus, ita tibi eundem pari studio profectanti, omniaque tribuenti alterum Basili librum, quo spiritum sanctum ejusdem esse glorificationis cum patre et filio contra eunomianos demonstravit, inscripsimus, ut nostra etiam opera communi hominum utilitati tuis in nos singularibus promeritis consulatur.

Haec in memoriam clarissimorum Hungariae Praefulum. Jam Tractatus ipse sic incipit: *Laudavi diligentiam tuam in discendo atque industriam &c.* Textus ab alia manu rursus limatus, notisque ad marginem adpersus est, quas Trapezuntii credo; quaedam enim, ut fol. 108. p. 2. fol. 128. p. 2. fol. 131. nomen ejus praeferunt. *Cap. XXVII. ad verba Basili nobis fol. 126. Quis sanctorum nobis in demonstratione (ἐπὶ τῇ ἀναδείξει) panis eucharistiae et calicis benedictionis verba invocandi reliquit in scriptis?* adjicitur: *Nota quod hic demonstratur nullam a Jacobo (Apost.) scriptam missam ad Basilium pervenisse. Fol. 131. ubi Basilius C. XXIX. lucernalis gratiarum actionis (τῆς ἐπιλυχνίης εὐχαριστίας) meminit, commentatur Noster de Hymno, cujus initium: Φῶς ἱλαρὸν ἀγίας δόξης ἀθανάτου &c.* et postquam dixisset illum ita finire: *Laudamus patrem, filium et sanctum spiritum deum, ita argumentatur: Hoc certe postremum quod dicitur deum, aut ad solum spiritum*
Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

tum refertur, et sic spiritus communi christianorum usu sicut deus verus adorabatur, sicut nunc et adoratur, et adorabitur latius, cum jam tempus iubet, ut intret plenitudo gentium, quam sequentur Judei secundum paulum, vel ad tres personas patris, filij et spiritus sancti. &c. Habuit igitur Trapezuntius Codices, qui legebant: Ἀινόμεν πατέρα, καὶ Υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα Θεόν, et ita lego etiam in *Horologio graeco Venetiis 1667. p. 221. 8.* Quare miror Maurianos, qui T. III. p. 62. *Opp. Basili Θεῶν* habent, varietatem hanc ne quidem in *Notis* tetigisse. Ceterum Versionis nostrae Trapezuntianae indicium nec apud *Fabricium Bibl. gr. L. v. c. 19.* nec apud *Niceronum T. XIV. p. 329.* nec apud *Apost. Zenum T. II. Dissert. Voff. p. 9.* reperitur, minus apud *Maurianos.* Num Eruditi omnem ulteriorem investigationem interdictam sibi putarunt post *Erasmi* in suae Versionis ad *Job. Dantiscum Ep. Culm.* Praefatione Sententiam: *Hoc probatissimi Doctoris (Basili) opus quoniam videbam a Gregorio Nazianzeno magnopere laudatum in Monodia, nec hactenus a quocquam, quod equidem sciam, Latine uersum, eo libentius hoc laboris mihi sumpsit &c.*

CCLXV.

Codex membraneus lat. Sec. U. 83
XV. Folior. 156. 4. nitide exaratus, Titulis miniatis char. quadro, limbo frontis et literis initiorum
G g

rum deauratis, picturatis, et *Matthiae Corvini Hung.* Regis insignibus decorus, demum ad *Joh. Fabricum Ep. Vien.* e famosa Bibliotheca *Budensi* quomodocumque delatus, ab eoque Collegio suo ad *D. Nicolaum* legatus, ut nota frontis et calcis testatur, ita inscribitur: *Beati Basilii Archiepiscopi Cæsareę Cappadociensis De Diuinitate Filii & Spiritus Sancti: Adversus Eunomium Incipit:* Praeit vero cum *Praefatio* dicatoria *Bessarionis Card.* ad *Eugenium IV.* Pont. tum *Epistola* interpretis *Georgii Trapezuntini* ad *Bessarionem*, qui ei *Basilii* interpretandi autor fuerat; cum enim haec sub Concilii *Florentini* agerentur tempora, nondum amicitiam renunciaverat *Georgio* Cardinalis, quod demum sub *Nicolao V.* et *Paulo II.* accidit stringente calamum *Bessarione* in *Trapezuntinum* non traductorem, sed, ut ipse adpellat, *calumniatorem Platonis*. Ne duplex hoc *Προλεγόμενον* hic adscriberem, quamvis in recentioribus *Basilii* Editionibus non cum ratione omissum, vetustiores faciunt, puta *Ascensiana Paris.* 1520. f. *Cervicorniana Colon.* 1523. f. &c. in quibus prostat. *Versionem* nostram a *Viris doctis* successu temporis elimatam repraesentat *Editio Maur. Paris.* 1721. T. I. p. 207. f. *Ejus initium* in *Codice:* *Si omnes super quos Dei ac Salvatoris nostri ihesu christi nomen invocatum est &c.* *Et finis:* *Qui vero domino adberet unus spiritus est.*

II. fol. 99. p. 2. *Eiusdem B. Basilii Contra Eunomium Ad Amphiloebium Episcopum Iconii De Spiritu Sancto.* Praestantissimum istud magni Praefulis Opus ab *Erasmo* primum versum dicere videtur *Fabricius Bibl. graec. L. V. c. 19.* p. 79. Verum vide *Cod. praeced.* et audi *Bessarionem* in *suprac. Praef. Accipias igitur — opera; haec quidem contra impium eunomium illum, haec uero ad beatum amphiloebium de eadem materia edita. Et Trapezuntinum* in ep. *Accipilitteras tuas, — quibus a me petis, ut magno illi basilio diuinitus contra eunomium conscripta uolumina ac simul quę ad beatum amphiloebium edidit: in latinam linguam ex greca transferam.* Incipiunt haec: *Laudaui diligentiam tuam in discendo atque industriam &c.* Et finiunt: *iuxta cognitionem quae dignis a spiritu prebetur.* In *Edit. Maur.* exhibentur T. III. p. 1. et quidem, ut additur, ex *Interpretatione Erasmi.* *Codicem nostrum ἀπογραφοῦ Laurentiani* cujusdam *Florentini* esse vix dubitem.

CCLXVI.

Codex membraneus lat. Sec. U. 170 XIV. Folior. 77. f. min. nitide perscriptus, rubricis illustratus, et olim, ut *pag. ult. erasum, Monasterii S. Dorothee Wienne,* dein, ut *Thecae anteriori intus adnotatum, Joann. Alexandri Brassicani Ann. 1528.* et demum *Joh. Fabricii Antistitis nostri,* ita minio insignitur: *Incipit praefatio Eusebij Jeronimi in librum Didimi Alexandri*